

3137

## LITURGICI.

3138

*uenire merear &c.* Alter Monachi; nam petit, ut in ipso perfecteretur *sacrorum ordinum dignitas et sacramentorum uirtus et sancte unktionis et monastice consecrationis operatio &c.* Fol. 28. p. 2. *Cursus omnium operum domini*, id est, mysteriorum vitae Christi. *Cursus* hi constant Particulis Psalmorum, quae Orationibus interstinguuntur. Fol. 53. Orationes complures de Passione et Cruce Domini. In his multae rursus ex ore Feminae, uti et deinceps. Fol. 108. *Preces ad communionem corporis domini.* Fol. 117. p. 2. *Incipit psalterium beate et gloriose semper virginis Marie.* Rhythmis conceptum, quibus immiscentur per intervalla Salutationes Angelicae. Fol. 133. p. 2. *Augustini episcopi oratio ad sanctissimam mariam*, quae incipit: *Singularis meriti sola sine exemplo mater et uirgo &c.* Fol. 143. p. 2. *Letania de S. Maria*, cum pluribus aliis ad eam precibus, quas inter Oratio ad eam simul et *Iohannem Ev.* directa. Fol. 167. p. 2. *Litania pro in finem*, id est, pro felici obitu. Fol. 171. p. 2. *Cursus pro defunctis*, adjunctis *Psalmis* pro iisdem. Fol. 181. *Cursus s. trinitatis quem docuit S. Iohannes bapt. quendam heremitam.* Adhaerent Orationes ad *S. michabelem*, *proprium angelum*, *Iohannem Bapt.* et *Apost.* in qua postrema deficit *Codex*, quem in usum *Sanctimonialium* cujusdam *Parthenonis*, et fortassis a *Sore* quadam *Calligrapha*, descri-

ptum autumo. *Cursus* et *Litaniae* in eo contentae multum differunt ab iis, quae tardius invaluere, et ipse spiritus, tenorque *Precum* talis est, ut eas multis temporum lapsu subnatis praehabeas. Sunt tamen et inscita quaedam, ut fol. 177. p. 2. ubi rogatur *S. Trinitas*, velit memor esse *omnium miseriarum suarum*, *quas unquam in ueteri et in nouo peregit testamento*; nisi fortasse legendum sit *mysteriorum suorum.*

## DCCCXCVI.

Codex membraneus lat. Sec. 684 XIV. Folior. 127. 4. caractere grandi, elegantique exaratus, literis omnium initiorum colore auroque depictis *Precationes* varias complectitur, quas ordine indicabimus. Praeit *Formula Confessionis* Deo faciendae hoc initio: *Confiteor tibi domine pater celi et terre coram sancto altari tuo et huius loci reliquiis omnia peccata mea &c.* Dein: *Incipit Psalterium Beati Ieronimi.* Sunt *Psalmi* sequentes: V. LXXXVII. XXVII. XXXIII. L. LIII. LXIII. LVI. LXIX. LXXXVII. CI. CXVIII. CXXIX. et CXLII. sed initiis tantum delibatis, mixtisque mox versiculis aliunde depromptis, unde etiam subiecta *Oratio* ita incipit: *Suscipere et exaudire digneris hos uersiculos congregatos &c.* Simile *Commentum* jam *Cod. CCCVI.* occurrit. Succedit longa ad Deum *Precatio* rhythmica, immixtis auro liquidissimo scriptis sed corruptis

3139

## C O D I C E S

3140

ruptis vocabulis hebraicis et graecis *Hel*, *Theu*, *Homoj*, *Geni*

*Deus pater piissime*  
*Christe ihesu dulcissime*  
*Christus clementissime*

A fol. 28. sequuntur Orationes ut plurimum e *Missali* acceptae de Festis Domini et SS. deque Diebus Dominicis, usque ad *Fol.* 48. quo incipit *Officium* de B. V. notis etiam musicis nitide instructum, eoque absoluto *Psalterium in honore beate marie*, diversum ab eo, quod inter *Bonaventurae* Opera legitur. Tandem *fol.* 116. *Praeces* pro Moribundis et *Officium* pro Defunctis *Codicem* terminant. Membranis tamen eum ambientibus variae itidem *Precationes* a coeva, sed non tam elegante manu adscriptae sunt.

## DCCCXCVII.

<sup>1</sup> Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 65. f. max. in usum quondam *Friderici* III. Imp. splendide conscriptus. Insunt varii *Psalmi* ex Davidicis, *Hymni ac Praeces* ad Deum, B. V. aliosque *Coelites* adjecta interpretatione germanica Orationis dominicae, *Salutationis* angelicae, et *Symboli* Apostolorum. *Salutatio* angelica definit in haec verba: *Fructus ventris tui Iesus Christus. Amen.* Nondum enim ea aetate adjuncta erat *precatio* illa: *Sancta Maria* &c. Qua de re videndus *Mabillonius Praef.* ad *Sec. V. Annal.* O. S. B. n. 123. Praeit omnia haec *Calendarium*, in quo

*theos*, *Phobos* &c. adeoque *superstitionem* olens, *cujus initium*:

*Non est deus rex preter te*  
*Tu habitas o domine*  
*Incircumscripto lumine* &c.

ad diem VI. Martii nomen *S. Friderici Conf.* et ad diem XV. Apr. nomen *S. Helene Regine* literis miniatis consignatum est. Dederat namque *Nicolaus V. P. Rom. Eleonora Lusitanae Friderici* conjugii potestatem nomen mutandi, seque *Helenam* adpellandi, *cujus rei testes pontificiae literae* in *Tabulario Oenipontano* existunt. In *Psalms* nihil animadversione dignum. Ex *Hymnis* et *Precibus* apparet, quorum SS. fidei et tutelae se *Fridericus* praecipue commendaverit; nimirum *S. Servatii, Aegidii, Georgii, Leonardi, Christophori, Virgilio, Barbarae, Bartholomaei, Floriani, Helenae, Wenceslai, Jobannis Apost. Apolloniae, Petri Apost. Andreae Apost. Nicolai, Ambrosii, Karoli M. Imp. Stephani Regis et Conf. Ladislai et Emerici Regum, Colomanni, Martini, Erasmi, Tiboldi, Maximiliani, Adriani* &c. Quorum omnium nomina *Litaniis* quoque majoribus intexta ibi sunt, et aliorum praeterea, puta: *Morandi Conf. Henrici, Sigismundi, Conradi* &c. Porro ad usum *Friderici* Imp. *psalmodicum* hoc volumen exaratum fuisse probant haec *Orationes*:

Fol. 25. pag. 2. *Deus regnorum et cristiani maxime protector imperii da seruo tuo friderico triumphum virtutis tue scienter excollere ut*